

SOLUTIO :

1154. — *R. ad 1^m Quæst. Neg.* FIRMINUS enim ab omni culpa excusandus est, quia Ecclesia, non obstante interdicto, permittit administrationem Baptismi, Confirmationis et Pœnitentiæ, dummodo fideles qui ea petunt excommunicationi non subiaceant, aut nominatim interdicti non sint. Imo nec ulla datur exceptio, urgente mortis periculo, in quo etiam licet S. Viaticum ministrare, ut supra dictum est. Attamen pro Baptismo non admittendi sunt in Ecclesia nisi illi soli qui ad ejus solemnitatem requiruntur. *Pontas, ibid. cas. 11.*

1155. — *R. ad 2^m Quæst. Neg. pariter.* Ratio est, quia, licet Officia divina prohibeantur in Ecclesia, stante interdicto generali, conciones tamen minime vetantur, cum sub nomine Officiorum non comprehendantur. Insuper prædicatio divini verbi prohiberi nequit; secus enim impediretur instructio christiana, adeo fidelibus necessaria, nec daretur modus peccantes ad meliorem frugem revocandi. *Pontas, verbo Interdiction, cas. 12.*

1156. — *R. ad 3^m Quæst.* Quid vero de JUSTINO? Absolvendus. Etenim 1^o non peccavit concionando, quia, etiamsi tota Ecclesia sit interdicta, et in ea prohibeantur Officia divina, ut Missa, Horæ canonicæ, benedictiones, prædicatio tamen nunquam interdicitur, ut declaravit *Inn. III, c. 43, de Sent. excom.* Ratio est, quia, si populus privaretur piis instructionibus, medio præcipue efficaci ad meliorem frugem percipiendam careret.

2^o Neque peccavit JUSTINUS celebrando in Ecclesia, licet aliquod Sacellum hujus Ecclesiæ cum cœmeterio esset interdictum: nam, juxta reg. Juris, *principale non sequitur accessorium*; sed vice versa *accessorium sequitur principale*. Igitur, si Ecclesia esset interdicta, Sacella particularia ejusdem et cœmeterium adjacens etiam interdicto subjicerentur; at non contra. *S. Lig. n. 330. — Pontas, ibid. cas. 12 et 13.*

CASUS DE IRREGULARITATE

SEU

De irregularitate in genere; de irregularitate ob defectum corporis, natalium, lenitatis, ob bigamiam, ob violationem censuræ, ob homicidium.

CASUS I.

IRREGULARITAS IN GENERE.

ANATOLIUS, puer duodecim annorum, ut solus hæres esset parentum suorum, fratrem suum adhuc infantulum, digito in os intromisso, suffocavit. Peracta postmodum de hoc crimine pœnitentia, operam dat studiis, ut Sacerdos evadat. Absolutis autem studiis, et jam Sacerdos ordinatus, legit in Theologia homicidas irregulares esse. Quid tunc faciet miser? a quo dispensationem ab irregularitate impetrabit? Nescit quo se vertat. Donec autem occasionem habeat interrogandi de his Theologum sibi notum, Missam celebrare pergit.

HINC :

- QUÆR. 1^o *An impuberes in irregularitatem ex delicto incurrant?*
 2^o *An ignorans irregularitatem ex delicto ab ea excusetur? An etiamsi de homicidiis agatur?*
 3^o *An ANATOLIUS celebrando cum dubio de irregularitate peccaverit, et in pœnam incurrerit?*
 4^o *Quis ab irregularitate dispensare possit?*

SOLUTIO :

1157. — *R. ad 1^m Quæst.* Certum est impuberes contrahere irregularitates ex defectu, quarum sunt capaces, v. g. ex defectu natalium, etc. Controvertitur autem an contrahant irregularitatem ex delicto. Nihil in jure clarum reperitur. Multi affirmant cum *Sanchez*, quia jus neminem excipere videtur, nisi infantes non septennes; multi cum *Castropalao* excusant omnes impuberes ob omnibus pœnis, excepta pœna percussiois Clerici, et violationis clausuræ Monialium. *Reuter, de Censuris, n. 269. — Lacroix, etc.*

1158. — *R. ad 2^m Quæst.* In primo casu *Affirm. probabilius*, quia irregularitas ex delicto habet rationem pœnæ. Ita *communissime*, ait *S. Lig. n. 350.* In secundo casu *Neg.*, quia casus homicidii excipitur propter specialem indecentiam quam inducit. *S. Lig. ibid.* Igitur ad contrahendam irregularitatem ex delicto requiritur scientia legis sub hac pœna prohibentis, excepto tamen homicidii casu.

1159. — *R. ad 3^m Quæst.* 1° ANATOLIUS *probabiliter* non versatur in casu irregularitatis, quia delictum in impubertate commisit. Nec obstat quod de homicidio agatur: nam fit quidem exceptio pro homicidio in dubio aliquo facti: sed hic agitur de dubio juris, seu an lex impuberes attingat; porro communiter docent Auctores irregularitatem in dubio juris non contrahi. Præterea, juxta multos, impuberes censentur eximi ab omnibus pœnis, ut dictum est, si excipiatur pœna pro percussione Clerici et violatione clausuræ Monialium inflicta. 2° An vero peccaverit ANATOLIUS Missam celebrando, pendet a modo quo ipse conscientiam suam efformavit antequam celebraret. Peccavit sane, et quidem graviter, si irregularem se reputavit, nec aliqua necessitate ad Sacrum faciendum impulsus fuit.

1160. — *R. ad 4^m Quæst.* 1° Papa dispensare potest ab irregularitate in omni casu, modo non adsit impedimentum de jure naturali. 2° Episcopus et Regulares dispensare possunt, si irregularitas ex delicto occulto proveniat, homicidio tamen excepto. *S. Lig. n. 355 et 396.* — Item delegati quilibet pro ratione acceptæ facultatis.

CASUS II.

DEFECTUS CORPORIS.

GUILLELMUS, Sacerdos, dum rheda insidens quiete iter ageret, equis subito in furorem actis, adeo infeliciter delapsus est, ut crus sibi fregerit, faciem non sine notabili macula gravissime alliserit, oculum sinistram effoderit, et pedem alterum adeo attriverit, ut abscindi debuerit. Postea vero in sanitatem restitutus, non nisi pede ligneo et baculo suffultus incedere valuit. Nollet pius Sacerdos beneficio Missam celebrandi carere, sed nescit an irregularis factus sit. Interrogati ab ipso de hoc varii Sacerdotes, alii affirmant, et quidem quadruplici de causa, scilicet propter oculi carentiam, vultus maculam, pedem ligneum, et baculi necessitatem; alii vero quoad omnia negant, fatentes quidem per hæc induci irregularitatem ante Sacerdotii susceptionem, non vero Ordine suscepto.

HINC :

QUÆR. 1° *Quomodo contrahatur irregularitas ob defectum corporis ante, vel post ordines susceptos,*

2° *An defectus oculi sinistri, vel potentiæ visivæ in eo, irregularitatem constituat?*

3° *An GUILLELMUS censeatur irregularis?*

SOLUTIO :

1161. — *R. ad 1^m Quæst.* Irregularitas ob defectum corporis ex duplici capite contrahitur: 1° Si quis ad exercitium Ordinis sit ineptus. 2° Si aliis notabilem horrorem, vel indecentiam afferat. Hinc irregulares sunt: 1° mutilati, crus ligneum gerentes, manu, pollice aut indice uti non valentes; 2° cæci, vel ita cæcutientes ut Missam legere non possint; 3° surdi,

qui vocem ministri audire nequeunt; 4° multi vel balbutientes, qui verba integra pronuntiare non valeant; 5° claudi, qui sine baculo ad altare sistere non possunt; 6° monstrosi, aut enormiter deformes.

1162. — Prædicti defectus impediunt quidem sacrorum Ordinum susceptionem, non omnes tamen impediunt eorum exercitium, quando absolute exerceri possunt absque nimia indecentia, seu fidelium admiratione et horrore. Etenim *multa fieri prohibentur, quæ tamen facta tenent. C. ad apostolicam, de Regular.* Non igitur mirandum quod superveniente corporis vitio, præsertim sine culpa vitii, post susceptos Ordines ministrare permittatur, quantum fieri potest, quamvis laborans tali defectu ab iis suscipiendis arceatur, quia *turpius ejicitur quam non admittitur hospes*, juxta vulgatum axioma de *Jure can.* depromptum, *C. Quemadmodum, 25, de Jurejurando*: et etiam quia *afflictioni non est addenda afflictio*, juxta *C. Ex parte, 5, de Clerico ægrot.* — *Elbel, Reiffenstuel, Castropalao, Lacroix, S. Lig. n. 413.*

1163. — *R. ad 2^m Quæst.* Communiter dicunt Theologi defectum oculi sinistri inducere irregularitatem ante Ordinum susceptionem: quia Canon Missæ, hoc oculo deficiente, legi non potest sine magna difficultate. Excipiunt tamen merito nisi candidatus ad Ordines, oculo dextro, sine magna difficultate Canonem legere valeat, quod fieri posset attrahendo Missale ad medium altaris prope Calicem. In dubio res Episcopi judicio subjicienda est. Defectus autem ille exercitium Ordinis jam suscepti impedire non potest. *Vide S. Lig. n. 404. — Comp. n. 1072. — Lacroix, l. 7, n. 500. — Elbel, n. 430.*

1164. — *R. ad 3^m Quæst.* GUILLELMUS non videtur ut irregularis habendus, proinde licite Missam celebrare potest. Ratio est, quia vitium corporis superveniens alicui jam ordinato, solum impedit usum Ordinis qui exerceri nequit sine magna difficultate, vel scandalo, aut periculo irreverentiæ; atqui celebratio Missæ a GUILLELMO haberi potest sine magna difficultate, non obstantibus vitiis supradictis: neque enim est cur fideles inde scandalum capiant, imo potius ad compassionem movebuntur, præsertim cum tales defectus absque culpa Sacerdotis jam ordinati adveniant. Attamen, cum nemo in causa sua judex sit, consultius erit ad Episcopum recurrere. Minor adhuc erit difficultas quoad alia munia parochialia aut clericalia; GUILLELMUS igitur ea licite obire potest, scilicet: beneficium retinere, verbum Dei prædicare, confessiones excipere, matrimoniis assistere, baptizare, mortuos sepelire, etc. Ratio est, quia hæc omnia exercere potest sine scandalo, sine magno incommodo proprio, et dedecore pro rebus sacris. *Ita Suarez, disp. 51, sect. 2, n. 13 et 18. — Elbel, n. 228, et alii plures. — Vide Comp. de Euchar. n. 404.*

1165. — *Objicies*: Habetur ab omnibus ut irregularis ille qui adeo claudicat, ut ad altare sine baculo accedere nequeat. Ergo GUILLELMUS est irregularis.

R. Doctrina illa intelligenda est tantum de nondum ordinatis, minime vero de Clericis qui jam Ordines susceperunt, ut communiter docent Theologi, ait *Elbel, n. 229*: ergo GUILLELMUS non est applicanda.

CASUS III.

DEFECTUS NATALIUM.

1° RUFINUS, derelicta uxore, se in dissitam regionem recipit; et ibi se fingens liberum, aliam ducit uxorem, ex qua suscipit filium RUFINULUM. Hic cupiens statum clericalem amplecti, operam navat studiis, quibus absolutis, ad Sacerdotium promovetur, ignarus se illegitimo ex matrimonio natum esse. Rescit autem postea se spurium esse. Quare anxius dubitat an sit irregularis, seu utrum Ordines exercere possit.

2° CRISPINUS, filius illegitimus, non obstante natalium defectu, sacris Ordinibus fuit initiatus. Sed ecce: vix ad Sacerdotium evector est, cum ejus parentes legitimo foedere conjuncti sunt. Nescit autem CRISPINUS utrum dispensatione indigeat ut Missam celebret, aliasque Ordinis functiones obeat. Dubium hoc suum tibi exponit: quid tu de illo?

HINC:

QUÆR. 1° An RUFINULUS sit reipsa irregularis in primo casu?

2° Quid CRISPINO interroganti respondendum?

SOLUTIO:

1166. — R. ad 1^m Quærs. RUFINULUS noster non est habendus ut irregularis, licet ex invalido matrimonio natus sit. Ratio est, quia ex jure habetur ut legitimus. Etenim non solum illegitimi legitimantur per matrimonium subsequens parentum, sed censentur legitimi ii qui nati sunt ex matrimonio invalido, bona fide contracto, saltem ex una parte, in facie Ecclesiæ. Igitur tales, quamvis impedimentum postea detegatur, nihilominus tanquam legitimi reputantur. Ex C. Cum inter, 2, qui filii sint legit. Ergo RUFINULUS non est irregularis; et proinde, absque dispensatione, Ordinis exercitium prosequi potest. S. Lig. n. 424. — Reuter, n. 312.

1167. — R. ad 2^m Quærs. CRISPINUS minime indiget dispensatione, dummodo parentes fuerint habiles ad matrimonium contrahendum tempore conceptionis, aut etiam probabiliter tempore nativitatis illius. Ratio est, quia, licet peccaverit Ordines suscipiendo, et irregularitati subjectus tunc fuerit, hæc tamen irregularitas ablata est per subsequens matrimonium parentum: virtus enim legitimandi filios cuique valido matrimonio tribuitur, salva exceptione unica, nempe si genitores non fuerint habiles ad contrahendum tempore quo proles concepta vel nata est. S. Lig. n. 423.

CASUS IV.

OBSTUPEFACTUS ORDINANDUS.

EDMUNDUS, Clericus, se itineri accingebat ad Ordinem Subdiaconatus suscipiendum. Ei valedicendo mater sic ait: « Fili mi, te quidem ego pro filio legitimo habui; sed quia audivi grande scelus patrari ab illo qui,

natus toro non conjugali, petit ut sacris Ordinibus initietur, ne ego hujus criminis particeps fiam, maximum pando tibi secretum: pater qui te genuit, nunquam mihi matrimonio junctus est. Perpende igitur nunc quid tibi sit agendum; feci ego quod mihi præstandum erat. » Obstupefactus et admodum perturbatus EDMUNDUS convenit virum gravem, doctum et sapientem, illi exponit ea quæ a matre audivit, atque ab eo consilium petit. Respondit Theologus consultus: « Nihil est cur angaris: etenim, si ita res esset, posses ab Episcopo dispensari; præterea opus tibi nullum est dispensatione, quia matri fidem habere, præsertim in re adeo odiosa, minime teneris: siquidem *testis unus, testis nullus.* » EDMUNDUS, his non parum sublevatus, re tacita, ad Ordinem suscipiendum perrexit.

HINC:

QUÆR. 1° An EDMUNDUS possit matri fidem denegare, et, non obstante hac revelatione, Ordinem suscipere?

2° An Episcopus possit in hoc defectu dispensare?

SOLUTIO:

1168. — R. ad 1^m Quærs. Affirm. cum S. Lig. lib. 3, n. 654, ubi ait: « Communissime et probabilius filius non tenetur credere matri declaranti ipsum esse illegitimum, etiamsi juramento id asserat...: 1° quia « filius est in possessione legitimitatis, cui cedere non tenetur nisi convinctur quod sit illegitimus; 2° quia nemo tenetur credere uni testi, etsi « probatissimo. » Ergo EDMUNDUS in bona pace ad ordinationem pergere potest.

1169. — R. ad 2^m Quærs. Per se Episcopus in hac irregularitate, licet occulta, dispensare nequit; quia solus Papa dispensare valet in omnibus irregularitatibus ex defectu. Ita communiter. Plures tamen dicunt hanc irregularitatem provenire ex delicto, scilicet, parentum. Sed respondetur quod, ubi intervenit irregularitas ex delicto, agitur de noxa ordinando propria, non vero de peccato parentum. Præterea irregularitas ista ob indecentiam specialem conditionis illegitimorum constituta est: ergo est proprie irregularitas ex defectu. Attamen in nostro casu bene potuit Episcopus EDMUNDUM ad Ordinem admittere, declarando scilicet, eum minime pro illegitimo habendum esse, et proinde non indigere ulla dispensatione.

CASUS V.

BIGAMIA.

ANTONIUS duas uxores legitime duxit: quare bigamus factus est. Secunda uxore orbatus, mundo valedicens, religiosum Ordinem ingressus est. Emissa autem solemnī Professione, a Summo Pontifice dispensationem ab irregularitate petit, ut Ordines sacros suscipere possit. Verum Pontifex roganti ANTONIO minime est assensus. Quid ille? Ad S. Pœnitentiarum confugit, et id quod fuerat a Papa negatum ab ea impetravit, quin mentionem faceret de repulsa quam a Pontifice passus erat. Ad Diacona-

tum jam promotus fuerat ANTONIUS, cum suspicari cœpit se novo irregularitatis genere teneri, ex eo quod uxorem suam per adulterium jam corruptam cognovisset. Id autem, in supplici libello ad S. Pœnit. directo, ex ignorantia omiserat.

HINC :

- QUÆR. 1^o *Quotuplex sit bigamia irregularitatem inducens?*
 2^o *An irregularitas ANTONII per Professionem religiosam extincta fuerit?*
 3^o *An vero, subsistente irregularitate, valide a S. Pœnitentiaria dispensatus fuerit?*
 4^o *An novam contraxerit irregularitatem, uxorem suam ab alio corruptam cognoscendo, etiam si ejus crimen ignoraret?*

SOLUTIO :

1170. — *R. ad 1^m Quæ.* Bigamia triplex distinguitur, nempe : 1^o *vera*, seu proprie dicta, cum quis plures uxores successive duxit, et cum singulis matrimonium consummavit : 2^o *interpretativa*, quæ habetur quando quis ducit viduam, vel mulierem ab alio corruptam, aut etiam cognoscit propriam uxorem adulteram, quia est divisio carnis in plures; 3^o *similitudinaria*, cum quis matrimonium contrahit, seu attentat post votum solemne Religionis, aut Ordinem sacrum susceptum. *V. Comp. n. 1075.*

1171. — *R. ad 2^m Quæ.* Irregularitas ANTONII non fuit extincta per Professionem religiosam; etenim non quælibet irregularitas solvitur per Professionem religiosam, sed tantum ea quæ in jure est expressa. Porro in jure non invenitur expressa irregularitas ex bigamia. Ergo cessare nequit talis irregularitas, nisi per dispensationem. *Comitolus, l. 1, quæ. 106. — S. Lig. n. 354.*

1172. — *R. ad 3^m Quæ.* Affirmandum videtur saltem *probabiliter*. Ratio est, quia potestas S. Pœnitentiariæ, cum sit potestas ordinaria et subsistens, remanet integra, etiam mortuo Pontifice; nec fuit ullo modo restricta per negationem Papæ. Non potest enim ex jure probari quod Papa jurisdictionem inferioris in simili casu limitare voluerit. Ergo ANTONIUS recurrendo ad S. Pœnitentiariam utitur jure suo; neque fraudi tribui debet, quod negationem Papæ tacuerit: non est enim subreptitia dispensatio, pro qua obtinenda veræ causæ exponuntur, et nihil tacetur quod de jure exprimendum sit. *Lacroix, n. 811. — Suarez, de Leg. l. 6, c. 22, contra Sanchez et Comitolum, ibid. — V. Comp. de Leg., t. 1, ubi de dispensatione, n. 119.*

Cæterum inutiliter ANTONIUS recursum habuit, tum ad Papam, tum ad S. Pœnitentiariam; quia Regulares, ex privilegio *Sixti IV* et *Pauli III*, possunt dispensare cum suis de irregularitate ex omni bigamia proveniente. Ergo ANTONIUS per suos Superiores dispensari potuisset. *S. Lig. n. 453.*

1173. — *R. ad 4^m Quæ.* ANTONIUS in novam incurrit irregularitatem cognoscendo uxorem suam ab alio corruptam, quia aliam bigamiæ speciem a priori omnino diversam contraxit, seu bigamiam quæ *interpretativa* dicitur. Igitur dubitandum non est ANTONIUM remanere irregularem, etiam dispensatione a S. Pœnitentiaria obtenta, quia in formula dispensationis nullam fecit mentionem hujus irregularitatis, quæ a priore est omnino distincta; proinde gratificatio S. Congregationis, in hoc secundo genere bigamiæ, minime profuit oratori. Ergo iterum dispensari debet. Neque obstat quod ANTONIUS crimen uxoris ignoraverit cum eam cognovit, quia irregularitas ex defectu, etiam ab insciis contrahitur, juxta omnes. *Comitolus, ibid.* Sed necesse non est ut ANTONIUS denuo ad S. Pœnit. recurrat, cum a propriis Superioribus dispensari valeat, ut modo dictum est.

CASUS VI.

DEFECTUS LENITATIS 1^o.

ANDRONICUS, absolutis studiis, militiæ nomen dedit, et aliquando in conflictibus versatus est: non novit se unquam propria manu aliquem occidisse; sed alios verbo et exemplo adhortatus est ad fortiter pugnandum. A bello dimissus, statum clericalem amplectitur, atque ad sacros Ordines, nulla facta mentione vitæ militaris, promovetur. Paucis post annis Parochus constituitur. Nulla anxietate laborans circa ordinationem, summa pace fruebatur ANDRONICUS. Sed ecce intempesta nocte a somno repente excitatur per furem qui, nescio quomodo, in presbyterium ingressus magnam pecuniæ copiam subducebat. Ocius surgens Parochus in hominem irruit et, advocato in auxilium famulo, vinculis constringit, et satellitibus tradit ut puniatur, rogans tamen ne postremo supplicio afficiatur.

HINC :

- QUÆR. 1^o *Quomodo contrahatur irregularitas defectu lenitatis?*
 2^o *An ANDRONICUS factus sit irregularis, tum in bello, tum furem satellitibus tradendo?*

SOLUTIO :

1174. — *R. ad 1^m Quæ.* Irregularitas ex defectu lenitatis contrahitur ab omnibus qui voluntarie et proxime ad necem vel mutilationem alicujus concurrunt, per actionem natura sua ad id ordinatam, nisi ex justa defensionis causa fiat. Non tamen irregulares fiunt medici, licet membrum abscindant, quia id in bonum infirmi agunt. Clerici tamen, in Sacris constituti, fiunt irregulares, si præter casum necessitatis chirurgiam cum incisione et adustione exerçant. *V. Comp. n. 1076.*

1175. — *R. ad 2^m Quæ.* 1^o ANDRONICUS in primo casu nullam contraxit irregularitatem, nisi forte in bello evidenter injusto pugnaverit, quod in casu non supponitur, quia neminem propria manu certo occidit, neque mutilavit. Nec obstat quod alios adhortatus sit ad strenue pugnandum, quia cooperatio illa non est proxima.

1176. — 2° Neque factus est irregularis in secundo casu, quia mortem furis non intendit; imo rogavit, ne morte plecteretur. Clerici enim accusare possunt eos a quibus injuriam accipiunt, licet ii morte plecterentur, modo expresse protestentur se pœnam capitis non intendere. Secus enim improbis hominibus daretur ansa Clericos occidendi, vel eos bonis suis spoliandi, ubi ipsi conqueri non possent. *Reuter, n. 316, Coroll. 1 et 8.*

CASUS VII.

DEFECTUS LENITATIS 2°.

FIRMILIANUS, Parochus, a prædonibus noctu invasus, fistula sua jaculatoria unum ex eis occidit; alteri nasum gladio aufert; diffugiunt reliqui; duo capiuntur et ad mortem damnantur. Advocatur FIRMILIANUS ut eos in morte juvet, et ad supplicium comitetur. Cum autem cœlum pluviosum sit, hortatur aurigam ut festinet viamque breviorē capiat.

HINC :

QUÆR. An FIRMILIANUS irregularitatem contraxerit in circumstantiis modo enuntiatis?

SOLUTIO :

1177. — R. 1° FIRMILIANUS non incurrit in irregularitatem, vitam suam et res suas, noctu præsertim, defendendo contra injustos invasores, quamvis unum occiderit et alium mutilaverit. Licet enim unicuique se defendere contra injustum aggressorem vitæ et bonorum notabilium, modo non excedatur moderamen inculpatæ tutelæ. Sed in hujusmodi circumstantiis valde erat difficile FIRMILIANO excedere moderamen inculpatæ tutelæ, cum in mediis tenebris tantum esset periculum. Ergo ex illa parte minime est inquietandus FIRMILIANUS, *S. Lig. n. 389.*

1178. — 2° Nec incurrit in irregularitatem adhortando aurigam ut festinaret et viam breviorē caperet, propter tempus pluviosum, dum reos ad supplicium comitaretur; quia hoc ad supplicium non spectabat, sed tantum suadebatur ut incommodum pluvie vitaretur, hoc enim lenitati non repugnat. *Reuter, Coroll. 9, n. 316.*

CASUS VIII.

ORDINIS USURPATIO,

Et censuræ violatio.

1° VICTOR, Diaconus, dum sub nocte adesset in Ecclesia, cernens vetulam juxta sedem confessionalem adstantem et Confessarium expectantem, jocandi gratia, et ad experiendum quomodo illa confiteretur, locum Confessarii accepit, pœnitentem audivit, et absolutionem simulavit.

2° DIDYMUS, Sacerdos, ob aliquod delictum suspensus, Missam tamen pluries celebravit.

3° LEO, Sacerdos, ex delicto irregularis factus, Sacrum facere non dubitavit.

HINC :

QUÆR. 1° An VICTOR in irregularitatem incidit?

2° An DIDYMUS in irregularitatem incurrerit?

3° Quid, si suspensus tantum fuerit a beneficio?

4° Quid de LEONE statuendum?

SOLUTIO :

1179. — R. ad 1^m Quærs. Affirmative, quia usurpavit functionem Ordinis sacri, ad quem non fuerat promotus. Constat ex Bulla Clementis VII, 81, in qua sic habetur: *Decernimus, ut quicumque non promotus ad sacrum Presbyteratus Ordinem repertus fuerit Missarum celebrationem usurpasse, aut sacramentalem Confessionem audivisse..., a foro Ecclesiastico abjiciatur.* Ergo irregularitatem contraxit VICTOR; sed si factum sit occultum, ab Episcopo dispensari potest. *Pontas, verbo Irregularité, cas. 88.*

1180. — R. ad 2^m Quærs. DIDYMUS contraxit irregularitatem, censuram violando; quicumque enim Clericus qui ab Ordine sacro est suspensus, et Ordinis functiones exercet, eo ipso fit irregularis: sic ex Jure can. c. 1, de Sent. et re judic. in 6°. Unicam tamen irregularitatem contraxit, licet pluries celebraverit; quia non multiplicatur irregularitas, si idem delictum multiplicetur.

1181. — R. ad 3^m Quærs. DIDYMUS in hac hypothesi non factus est irregularis, quia suspensus a beneficio non est ideo suspensus ab officio, nec proinde peccat officium exercendo. *Pontas, ibid., cas. 96.*

1182. — R. ad 4^m Quærs. LEO, jam irregularis, non incurrit in secundam irregularitatem. Ratio est, quia irregularitas contrahitur tantum in casibus a jure determinatis. Porro in jure non dicitur, irregularitatem in hoc casu contrahendam esse. Potuisset tamen incurrere in novam irregularitatem, non quidem ex eo quod priorem violasset, sed propter violationem censuræ, v. g. suspensionis, si forte aliqua lata esset in admitentes delictum, cujus causa irregularis factus est.

CASUS IX.

HOMICIDIUM 1°.

1° GENESIUS, inimicum PANCRATIUM contumeliis et improperiis lacessivit, atque cumulavit. Ira incensus PANCRATIUS in GENESIUM, districto gladio, irruit. Hic vero, ut morti certæ se subtraheret, eum præveniens transfodit. Cum autem Ordines suscipere postea cupiat, nescit an irregularitatem incurrerit.

2° GENEALDUS, gravi contentione cum QUIRINO habita, cum eo conflicendo ejus pollicem ex dimidia parte, et indicem integrum amputavit; atque adeo graviter in faciem percussit, ut ille utrumque oculum amiserit.